

Deus bonitatis meae. ]Ebr. אלהי מסדי. Græc. legit אלהי: id est, Deus meus. & addit, *καὶ ἰσχυρὸς*: id est, Misericordia mea. Sic & Vulg. Lat.

More suo Psalmum gratiarum actione claudit, qua duo facit, Primum prædicat beneficium Dei, quod in tribulatione constitutus, expertus erat. Quia factus es, inquit, protectio mea, & refugium in die tribulationis. Deo ascribit, quod manus satellitum Saulis euasit, licet opera & ministerio vxoris effugerit. Deinde pollicetur huius beneficij predicationem, eamq; ita ardentem ac sedulam, vt sit de illo cantaturus, etiam summo diluculo bonitatem Dei laudaturus. Coniungit autem in ista laude Dei duo vnicè obseruanda, & indubitata fide in Deo, omnibus exemplo Dauidis refugium suum in Deo habituris, apprehendenda, robur scilicet & bonitatem: quæ duobus commemorat. Deme hæc duo Deo, non erit Deus, nec poterit esse suorum protector, adde illa creaturæ, & facies ex illa Deum, vt possit adflictos tutari. & de impijs vltionem sumere.

PSALMVS LX.

AD PRÆCINENDVM, SVPER FLORE TESTIMONII, IN SIGNE Dauidis ad docendum, cum bellum gereret contra Syriam Mesopotamiæ, & contra Syriam Soba, & Ioab reuerfus precusserat ex Idumæis in valle salinarum duodecim millia.

Titulus Psalmi mittit ad historiam dilatati regni Dauidis, quam legimus 2. Sam. 8. & 1. Paral. 18.

ARGVMENTVM PSALMI.

Titulus indicat, Psalmum hunc compositum esse ad hoc, vt doceretur populus, promissionem Dei verã esse, qua primum Abrahæ, deinde & posteris eius, maxime sub Mose Deuter. 1. 1. & Iosue 1. totam illã terram Canaan, expulsis illis gentib. vniuersis, daturum se pollicitus erat: licet propter peccata ipsorum factum esset, vt hæcenus nondum esset impleta illa promissio. Istam veritatem in effectum duci & orat, & propter eloquij Dei certitudinem confirmat: simul populum instruens, illam vt credat, & à Deo precetur: hoc obnixius, quod iam certis argumentis velle Deum præstare, quod promiserit, appareret. Habet autem Psalmus tres partes conspicuè distinctas.

VERS. I.



DEVS deseruisti nos, dispersisti nos, iratus es: restitue nos.

2. Commouisti terram, dirupisti eam: sana rupturas eius, quoniam commota est.

3. Ostendisti populo tuo dura, potasti nos vino tremoris.

4. Dedisti metuentibus te signum, ad extollendum, propter veritatem. Selah.

5. Vt liberentur dilecti tui, salua dextera tua, & responde mihi.

6. Deus loquutus est in sancto suo, letabor: diuisi Sichem, & conuallem Succoth dimensus sum.

7. Meus est Gilead, & meus est Manasses, & Ephriam fortitudo capitis mei.

8. Iuda dux meus, Moab olla lauacri, in Idumæam extendam calciamentum meum, mihi Philistæa iubilando acclama.

9. Quis deduxit me vsq; in ciuitatem munitam? quis deduxit me vsq; in Idumæam?

10. Nonne tu Deus qui deserueras nos, & non egrediebaris Deus cum exercitibus nostris?

11. Fer nobis auxilium in tribulatione, quia vana salus hominis.

12. In Deo agemus fortiter, & ipse conculcabit tribulantes nos.

LECTIO.

Vers. 1.

Restitue nos. ]Ebr. השׁוּב, Græc. & vulg. Lat. Et miserus es nobis. Hieron. Conuertisti nos. Felix: Deficies à nobis Pagn. Reuerteris ad nos.

Vers. 3.

Vino tremoris. ]Ebr. תרעלה. Græc. & Vulg. Lat. Compunctionis. Hieron. Confopiente. Iustin. Venenato. Felix: Anxifico.

Vers. 4.

An extollendum, propter veritatem. ]Ebr. להחניטס מפני קשט. Græc. & Vulg. Lat. Vt fugiant à facie arcum. legerunt קשט: id est, arcum, pro קשט veritate.

Vers. 8.

Moab olla lauacri. ]Ebr. סיר רחצי. Græc. & Vulg. Lat. Olla spei meae. Mihi Philistæa iubilando acclama. ]Ebr. עלי פלשתה חתרועעי. Græc. & Vulg. Lat. Mihi alienigenæ subditi sunt. Hieron. Mihi Palæstina fœderata est. Sic & Iustin. Felix. Super me Philistæa iubila. Reliqua satis concordant.

PRIMA PARS.

Ista comprehenditur primis quinque versibus, & precationem habet pij regis ad Deum, vt regnum populo suo restituat, terræ rupturas sanet, dextera sua adsit & saluet, clamantiq; ad se respondeat & annuat. Huic precationi adiungit commiserationis gratia, commemorationem promeritæ tandiu iræ Dei, qua factum erat, vt detererentur, dispergerentur, terra ipsa commoueretur ac dirumperetur, & inhabitatores illius duriter premerentur, vinoq; tremoris, veluti ebrij, potarentur. Præ.